



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXV. Quibus in rebus confistat Confessionis integritas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

salute. Quare ea referenda sunt, quæ te reum peragunt, quæ te damnant, & legis præuicatore conuincunt; nec excusabitur per integritatem Confessionis seruandam; quia, etsi integritas Confessionis exigat tertiam personam aliquando manifestari; nõ tamen requirit, vt talis Confessio integra fiat Confessario, tertiam illam personam agnoscenti, quando alius potest haberi Confessarius.

Si verò nõ inueniatur Confessarius, ignorans talem personam, dicunt quidem aliqui, quòd tùm illam circumstantiam personæ nõ tenetur dicere, sed tamen fortè non peccaret dicendo; quia præceptum de Confessione est maius, quàm præceptum de seruanda fama alterius, & ego vtor iure meo: Maximè, quia non diffamo consortem, cùm Sacerdos teneatur peccatũ meum & suum æquè celare.

*Quibus in rebus consistit Confessionis integritas?*

*Quæstio  
XXV.*

**A**D integritatem Confessionis requiruntur Sex, quorum vnum, si desideretur, Confessio nullius erit momenti.

*Responsio.*

PRIMO, adfit oportet, integritas materiae necessariæ, quæ sunt peccata mortalia: Non enim sufficit in genere profiteri læthali peccavi: verumetiam explicare oportet, quæ genera mortalium peccatorum sint commissa.

ECVN-

### Caput III. De Qualitate

SECUNDO, requiritur numeri integritas, in qualibet specie peccati mortalis, siue ore, siue opere, siue sola cogitatione patratū sit. Si autem certus numerus à poenitente iniri nequeat, sufficit distinctas species manifestasse cum qualicunq; numeri coniectura.

TERTIO, requiritur integritas vnius eiusdemque Sacerdotis, & temporis: Nam vno & eodem tempore, vni eidemque Sacerdoti omnia mortalia, quorum memoriam quis habet, confiteri oportet.

QUARTO, requiritur omnium eorum mortiferorum integritas, de quibus quis dubitat, mortalia sint necne, quamuis forte venialia duntaxat sint.

QUINTO, in omnibus illis, in quibus poenitens propter erroneam conscientiam peccat, putans aliquid esse peccatum mortale, cum tantum sit veniale, aut forte actus indifferens: Quicquid enim est contra conscientiam, operatur ad gehennam.

SEXTO, demum requiritur omnium earum circumstantiarum integritas, quae peccatum aggrauant in infinitum.

Quaestio  
XXVI.

*Vsque ad eone haec omnia sunt necessaria, vt si aliquid horum desit, Confessio nullius sit pretij, & iteranda?*

Com.